

unquam fuit partita, quia tenet terram illam per servicium militare et inde reddit de scutagio, cum evenerit, x. (*sic*) denarios ad xx. solidos et ad plus [plus] et ad minus etc.; et inde ponit se super patriam.

Et Robertus dicit quod terra illa soccagium est et terra partibilis; et partita fuit inter predictum Willelmum patrem ipsorum et quendam Adam fratrem suum et inde ponit se super patriam. Et ideo preceptum est vicecomiti quod coram eo et coram custodibus placitorum corone venire faciat xij. etc.; et per eorum sacramentum diligenter inquirat si terra illa unquam partita esset inter aliquos qui essent de eodem stipite ut soccagium vel si non fuit partita sicut illa quam ipse Rogerus et antecessores sui tenuerunt per servicium militare: et veniat inquisitio a die sancti Hillarii in j. mensem per literas et per duos.

Postea a die sancti Hillarii in j. mensem venit inquisitio, que talis est, quod predicta terra nunquam fuit parti[t]a temporibus aliquorum antecessorum eorum et quod predictus Rogerus et antecessores sui terram suam tenuerunt per servicium militare et dederunt et dant ad scutum, quando est ad xl. solidos, dimidiam marcam. Et ideo consideratum est quod tenentes teneant in pace: et Robertus in misericordia.

*Membrane 14*

ADHUC DE J. MENSE

526

*Subt*.<sup>1</sup> Hugo Wak optulit se quarto die versus Margeriam de Feritate et Willelmum de Percy de placito quod sint ad computandum simul cum Alicia de Moun et predicto Hugone super xvij. libratis terre, que ipsi Hugoni desunt de rationabili parte sua que eum contingit de terris que fuerunt Willelmi Briwere etc., et unde idem Hugo queritur quod predicti Margeria Willelmus et Alicia plus habent quam ad ipsos de jure pertinet habendum etc.; et ipsi non venerunt etc., et summonitiones etc. Judicium. Attachientur quod sint a die sancti Martini in xv. dies etc.

Et Hugo ponit loco suo Johannem Gubaut vel Thomam de Ormeby, et similiter versus Aliciam de Moun de eodem.

527

*Kent*. Willelmus le Taillur petit versus Ricardum filium Rogeri xxvij. marcas, quas ei debet etc.

Concordati sunt etc. Et Ricardus cognoscit ei debitum; et inde reddet ei vij. marcas in crastino Purificationis beate Marie apud Westmonasterium coram justiciariis, et in crastino sancti Johannis Baptiste sequenti vij. marcas ibidem, et in octabis sancti Michaelis ibidem xiiij. marcas ibidem; et nisi reddiderit, concedit quod vicecomes faciat denarios illos de terris et catallis ad reddendum eidem Willelmo.

528

*Essex*.<sup>2</sup> Johannes filius Galfridi summonitus fuit ad respondendum Henrico de Kemeseck quare non permittit eum presentare idoneam personam ad ecclesiam de Esttillebur', que vacat et ad suam spectat donationem, ut dicit, et unde idem Henricus queritur quod, cum nuper recuperavit advocacionem illam per defaultam versus Rogerum

<sup>1</sup> Bracton II. 611 (No. 796). This entry is side-lined.

<sup>2</sup> Bracton II. 611 (No. 797). This entry is side-lined.

teneat ei libertates suas, et quibus ipse et antecessores sui semper hucusque usi sunt; et petit quod predicti querentes veniant in comitatum Cestr', et ipse faciet eis plenam justiciam.

[Et] comes de Ferrar' et omnes alii qui sunt coheredes sui participes de hereditate illa petunt iudicium. Ponitur in respectum usque in crastinum sancti Johannis Baptiste coram domino rege. Idem dies datus est . . .<sup>1</sup>

1423B

. . . Domina Mageria (*sic*) de la Ferte ponit loco suo Ricardum de Kardunvill' militem . . . que eam contingunt de hereditate Willelmi Briwer' . . .

*Membrane 32*

PLACITA CORAM DOMINO REGE APUD WESTMONASTERIUM  
A DIE PASCHE IN XV. DIES<sup>2</sup>

1424

*Berck'*. Dies datus est abbati de Bello Loco per attornatum suum querenti et Fulconi filio Warini de placito consuetudinum, scilicet a die sancti Johannis Baptiste in xv. dies, prece partium.

1425

*Sussex'*. Thomas Briton et Alicia uxor ejus venerunt coram Willelmo de Ralegh' Godefrido de Crauwecumb' in presentia domini regis et cognoscunt quod tenent de feodo domini Cicestrensis episcopi domini regis cancellarii terciam partem trium carucatarum terre cum pertinentiis in Recham ut jus ipsius Alicie, que est una heredum Briani de Insula, et reddunt et quietam clamant illam terciam partem predicto domino episcopo et illam remittunt ei sicut jus ecclesie sue in perpetuum pro c. marcis argenti quas idem dominus episcopus ei (*sic*) dedit et de quibus se tenent contentos; et dicunt quod eis solute sunt.

*Essex'*. Dominus Cicestrensis episcopus et Thomas Briton et Alicia uxor ejus ponunt loco suo Willelmum filium Ade vel Radulfum de Carevill' versus Rogerum de Essex' de placito detentionis cartarum etc.

1426

*Hertford'*. Paganus de Chawurcis summonitus fuit ad respondendum Ricardo de Argenteum quo waranto tenet maneria de Wylegh' et de Linlegh' cum pertinentiis, unde idem Ricardus disseisitus fuit per preceptum et voluntatem domini regis etc. Et Paganus venit et dicit quod multum servivit domino Johanni regi, et pro servicio regis Johannis fuit ipse disseisitus de omnibus terris quas habuit in partibus transmarinis, et pro quibus dominus rex Johannes fecit ei dari quolibet anno de scaccario suo l. libras; et processu temporis dedit ei dominus rex Johannes predictas terras pro terra sua transmarina et pro quantantia predictarum l. librarum annuarum. Et postea, quia datum fuit intelligi domino regi qui nunc est quod idem Paganus copulavit se et adjunxit se regi Francie et debuit ivisse cum eo super Albigenses, ideo disseisivit eum dominus rex qui nunc est de omnibus terris suis quas habuit in Anglia, et de ista et alia: et postea, quando dominus rex scivit quod non fuit ita, reddidit ei omnes predictas terras preterquam terras predictas; et de

<sup>1</sup> Bracton omits this sentence.

<sup>2</sup> 22 April 1235.

1472

*Sabbat.* Mandatum fuit priori de Motesfunt quod haberet coram domino rege *cartas* que fuerunt Willelmi Briwerr' etc. Et prior misit quoddam scrinium cum *cartis*, inter quas reperiuntur due *carte* de rege Ricardo de manerio de Sumburn' de primo anno suo, et liberantur Margerie de Feritate; item una de eodem rege et eodem manerio de anno eodem postquam sigillum suum deperditum fuit; item *tercia* *carta* ipsius regis Ricardi de quodam rittleto inter Sumburn' et Hakele et de alio rittleto quod appellatur la Ruggle et de licentia claudendi duos brulletos; item due *carte* de rege Johanne de confirmatione super eisdem; item *carta* *cirographata* de Waltero filio Pagani facta eidem Willelmo Briwerr' de terra in Sumburn'; item *carta* Willelmi de Bruwus' de relaxatione servicii de Snodington'; et preterea unum *cirographum* inter eundem Walterum [et] Willelmum Briwerr' de terris in Sumburn'; item duo *cirographa* inter ipsum Willelmum et priorem Sancti Swythuni de mariscis de Houton' et de Draiton'; item *confirmatio* ejusdem prioris et conventus super eodem; item *littere p[atentes]* Unfridi de Boun de conventionem facta de feodo Ade de Sumburn'; et liberantur eidem Margerie. Et residue *carte* et *cirographa*, que non t[angunt] ipsam Margeriam, liberantur canonico de Motesfunt qui illa detulit ad curiam, deferenda apud Mot[esfunt], ubi prius fuerunt, quia participes Margerie non sequuntur. Et sciendum quod plures sunt *carte* et *cirographa* que tangunt in parte ipsam Margeriam et in parte alios. Et ideo remittuntur apud Motesfunt, ut ibi habeatur regressus si opus fuerit.

1473

*Glouc.* Ricardus de Clifford optulit se quarto die versus Petrum le Burgeis de placito quod reddat ei unam virgatum terre cum pertinentiis in Frampton' quam Rogerus de Frampton' tenuit de Ricardo de Clifford' patre ipsius Ricardi, cujus heres ipse est, et que debet [esse] eschaeta sua, eo quod idem Rogerus bastardus fuit et obiit sine herede de se, ut dicit etc.; et Petrus non venit etc., et summonitio etc. *Judicium.* Terra capiatur in manum domini regis etc., et dies etc.; et ipse summoneatur quod sit a die sancte Trinitatis in xv. dies etc.

Et Ricardus ponit loco suo Willelmum de Bosco.

1474

*Glouc.* Robertus de Turevill' summonitus fuit ad respondendum Johanni de Tormerton' quo jure exigit communam pasture in terra ipsius Johannis in Thormerton', desicut idem Johannes nullam communam habet in terra ipsius Roberti in Acton' nec idem Robertus ei servicium facit quare communam habere debeat etc.

Et Robertus venit et dicit quod disseisitus est de eadem pastura per predictum Johannem, ita quod jam inpetravit breve de nova disseisina super eum; et petit *judicium* si debeat disseisitus respondere. Et Johannes hoc defendit; et concedit quod habeat seisinam suam et respondeat, salvis pratis et bladis ipsius Johannis et parco de quo Robertus concedit quod clausus est.

Et Robertus venit et dicit quod juste ibi communam exigit et ibi communam habere debet, quia ipse et omnes antecessores sui a conquestu Anglie semper ibi communam habuerunt et habere debuerunt.

Et Johannes dicit quod nec ipse nec antecessores sui ibi communam habuerunt nec habere debuerunt nec unquam habuerunt nisi idem Robertus tantum et per vim jam tribus annis elapsis; et dicit quod predecessor suus obiit seisitus sine seisina alicujus commune quam idem Robertus vel antecessores sui ibi habuerunt, et post mortem ipsius antecessoris, dum terra fuit in manu Ricardi de Marisco in custodia, nunquam ibi seisinam habuit; et locus ubi communam petit est quidam parvus qui inclusus est et qui